

*De templo Johanna. Baptistae Zittaviensi  
ejusq. statua ante reformab.*

Ye  
5145

Q. D. B. V.

ACTUM GRATULATORIUM

De *x 2044 179*

TEMPLIS

ZITTAVIENSIIUM,

IN HONOREM

NOVI CONSULIS

QVI

PAROCHIALIS TEMPLI

QVOQ;

SUPREMUS CURATOR

EST

*ad d. 13. Septembr. M DC LXXXIX.*

SUB MODERAMINE

CHRISTIANI WEISII, RECT.

EXHIBEBUNT

JEREMIAS BALTHASAR *Fritsch* / Grünberg. Siles.

ANTONIUS *Junge* / Hamburgensis.

CONRADUS *Wittscheibe* / Custrin-Marchic.

CHRISTIANUS-HENRICUS de *Dewitz* / Nobil. Pomer.

JOHANNES CHRISTOPHORUS ALBERTI,

CHRISTIANUS - *Gottfried* ALBERTI,

} *Lipsiens.*

Quibus accedent


AUGUSTUS *Just* / Zittaviensis.

JACOBUS FRIDERICUS *Gerber* / Zitt.



ZITTAVIAE,

Typis Michaëlis Hartmanni.





**A**Nno superiore, cum ad CONSULEM, novo regimini ad-  
motum, dirigenda esset consveta Gymnasii gratulatio; Is  
autem simul esset SCHOLARCHA supremus, qui vel hoc  
nomine præscribere videretur argumentum, Rep. literaria  
dignum: nonnulla proferre meminimus, de METHODO  
STUDIORUM, quæ Scriptor Gallus, non inferioris ordinis, pau-  
lo ante sic orbi erudito commendaverat, ut aliqua nostris studiis con-  
venirent, aliqua commodius explicata, non omnino repugnarent. Nec  
ingratam fuisse nostram hanc operam, quæ bene mereri vellet de stu-  
diis h. e. de præcipuo reip. ac posteritatis fulcro, variis tum documen-  
tis demonstratum fuit.

Nunc ubi ad novam pietatem nos allicit Vir Nobilissimus, septi-  
mum hac vice CONSUL, ac simul Parochialis Templi supremus  
CURATOR: non alienum ab ipsius tum dignitate tum felicitate  
fuerit, aliqua proferre ad rem ecclesiasticam spectantia. Nam si præ-  
cibus in templo fuis adjuvari solent graviores Magistratum conatus:  
Illi non diplicebit loci tam salutaris recordatio. Si vicissim, propio-  
ri velut nexu, Templum & Scholam constringi videmus, ut in expe-  
diendis passim ceremoniis, ipsa juvenum nostrorum cantica requi-  
rantur: quis, e coetu scholastico, domum toties sibi commendatam re-  
spicere, vel deprædicare nolit?

Adde quod singularem & admiratione dignam habemus Tem-  
pli primarii mentionem, si cogitemus anno jam P. C. N. 1021. inibi  
sepulchrum fuisse datum *Zittavia s. Sidonia*, ut verba Epitaphii o-  
lim legebantur, *Christianissimo Principi Manfredo nuptæ*. Sive enim  
fuit Micislai Poloni filia, sive originem habuit Pomeranicam; Man-  
fredus certe, hujus regionis dominus, lineam agnovit Witekindæam,  
seu ut speciatim is ramus appellatur, Ringelheimensem: nam si Mar-  
chio nonnunquam vocatur Brandenburgicus, crediderim ab Imperato-  
re missum, ut in eo Marchionatu supremum ageret belli ducem: ac  
proinde tantum Heroem in exiguo sacello, vel templo prorsus obscu-  
ro, recondi voluisse personam profapia & connubio splendidissimam,  
vix est cur nobis persuadeamus. Ita citius hic habuimus Templum,  
quæ justam civitatem: si, quod communi omnium consensu credi-  
tur verissimum, Ottocarus Bohemæ Rex anno demum, 1255. moenium  
prima jecit fundamenta; si postea filius ejusdem Wenceslaus ad au-  
gmenta Privilegiorum, ipsiusque oppidi cultum aliquanto meliorem, in-  
signes suas curas conferre dignatus est.

Cœ-

Cæterum Johannis Baptistæ nomen, unde accessit Templi primarii titulus admonere nos potest, præcipuam ejus curam & utilitatem pertinuisse olim ad Rhodienses, seu, ut postea vocabantur, Melitenses Equites, quos ab ipso hoc Johanne dicere solemus Johanniticos. Illi enim per suum Commendatorem, aliosq; cruciferos dominos, jura sua tamdiu administraverunt, donec accepto pretio satis lauto, potestatem hanc in manibus Nobilissimi Senatus relinquerent.

Interim sub Archiepiscopatu Pragensi, sub Archidiaconatu Boleslaviensi, Decanatus erat Zittaviensis, ad quem Balbinus in *Libro Miscellaneorum Parochiali* refert triginta tres Plebanos, quorum Ecclesiæ nominibus nondum prorsus incognitis recensentur *Advocati villa, Henrici villa s. Alba Ecclesia, Cruciferi in ipsa Sittavia, Henrici villa Ecclesiæ Rombergensis, Sifridi villa, Ruperti villa, Yvva, Ronberg, Reichenau, Wernoldi villa, Heindwald, Henrici villa, Friderici villa, Schonou magnum, Wytigendorf, Ostravia, Grunou, Koenigehein, Seibotonis villa, Reichenberg, Rochliz, Schonou parvum, Weczelswald, Krocovia, Wetavia, Bertrandi villa, Conradi villa, Udrviz, Tirchou, Wogtsdorff, Pulchra Tilia, Grot, Henrici villa Scriptoris.* Cæterum hos Cruciferos s. Johanniticos multis in causis fuisse exemptos, ex eo patet Balbini indice. Cum enim anno 1384. per universum Bohemiæ regnum colligerentur decimæ Ecclesiasticæ, ab his Cruciferis nihil solutum est. Fuisse autem hujus Decanatus s. Districtus aliquam existimationem, inde clarum est, quod Capitulum Pragense, cum anno 1421. Conradus Archiepiscopus, cum insigni Canonorum numero partibus accessisset Hussiticis, reliquias suas per aliquod tempus Zittaviæ servaverit. Exhibet idem Balbinus *Miscellan, Decad. I. Lib. VI. pag. 156. seqq.* literas Capituli nomine ad Pontificem & ad Archidiecepsin Bohemicam Zittaviæ scriptas.

At cur post Lutheri reformationem anno 1521. Commendator, qui nominandorum Concionatorum haberet jus, fieri pateretur, ut pomeridiana concio M. Laurentio Heidenreichio concederetur, hætenus quidem per 12. annos Prædicanti pontificio, tum vero Lutheri partibus addicto, sæpe miratus sum. Sed, si à divina providentiâ dicesserim, cui referenda sunt eorum temporum miracula, magnam mihi lucem accendit Illustris Seckendorffius in *Historia Lutheranismi pag. 355.* Ejus enim hæc sunt verba: *In Bohemia & Silesia, etsi Ludovicus Rex Luthero infensus esset, Georgii tamen Marchionis Brandenburgici, qui regia aula Magister erat, & favere Luthero cœperat, opera florere incipiebat Evangelica doctrina.*

Neq; tamen prorsus quieta fuit hujus concionatoris conditio, quominus & ipse turbaretur, & auditores varias interdum molestias devorare cogerentur: donec anno 1540. prima compositionis affulgeret spes, & Commendator variis modis delinitus, Senatui pleniorum aliquam potestatem indulgeret. Fallor an ominus loco referri potest, quod

co-

JK 4e 5145

eadem anno versus Aulam Crucis s. Commendatoris domum Templi paries insignem ruinam passus est. Certè postquam elapsi essent anni triginta, Commendator hic habitare & regnare desit, destructoq; ipsius habitaculo successit Gymnasium & Rectoris domus.

Templi autem res quod attinet, anno 1545. cum antea pomeridianis concionibus vacasset *Caspar Heubelius*, revocatus *Heidenreichius*, olim à Commendatore ejectus, & Lembergensium hæctenus Pastor, matutinis quoque concionibus adhibitus est. Anno 1550. numerus Concionatorum factus est ternarius, donec quartus & quintus accederet, ac civium excrefcens numerus, alterius etiam templi necessitatem demonstraret.

Hujus generis multa secum reputabunt declamatores nostri, tanto quidem libentius, quod nullibi promptiorem gratulandi & bene ominandi materiam deprehendunt.

Qui primo loquetur, originem Templi, quantum per antiquitatis tenebras licuerit, persecuturus est.

Alter Reformationis difficultatem ac faustum postea successum mirabitur.

Tertius conservatam hæctenus, sub inclyto SAXONUM Regimine, felicitatem deprædicabit.

Quartus ad structuram, Musicam, aliumque splendorem respiciet.

Quintus purioris doctrinae custodiam & culturam, velut exquisitissimum Templi ornamentum, commendabit.

Sextus è singulis Templorum Zittaviensium nominibus votendi & precandi captabit occasionem.

Septimus, ne DEUS immittere velit eam devastationem, quam in tractibus Rhenanis innumera templa jam experiuntur, devotis precibus contendet.

Epilogus tum ad Nobiliss. GIRISIUM, tum ad reliquos Senatorii Ordinis Patres optandi suam convertet pietatem.

Eqvidem ejus generis omnia sunt, ut displicere nequeant, Christianis, Magistratibus, Zittaviensium Fautoribus & Amicis, omnibus denique Oppidi laudatissimi clientibus. Quamobrem, ad diem Martis post secundam pomeridianam, frequenti & benigno Auditorio comprobatum iri debitum hoc & à gratis animis profectum officium, ita confidimus, ut, tanquam in re certissima, reciprocam sive observantiam sive promptitudinem polliceri non dubitemus. Servet DEUS Ecclesiam, & in ea Ecclesiae Seminarium, quod è pristina Crucis aula fuit progressum. Sic salvum & lætum fore Magistratum, salvos & lætos cives, non desperamus. P. P. Dom. XIV. post. Trin.

M DC LXXXIX.



VDM

mi



F. H. 38, 19.

De templo Johanni. Baptista Sibaviensi  
ejusq. statua ante reformab.

Ye  
5145

Q. D. B. V.

ACTUM GRATULATORIUM

De X 2044179

TEMPLUM

ZITTAVI

IN HON

NOVI CO

PAROCHIAI

SUPREMUS

ad d. 13. Septembr.

SUB MOD

CHRISTIANI

EXHIB

JEREMIAS BALTHASA

ANTONIUS Junge / H

CONRADUS Wittsche

CHRISTIANUS-HENR

JOHANNES CHRISTO

CHRISTIANUS - Gottf

Qvibus

AUGUSTUS Just / Zit

JACOBUS FRIDERICU



ZITT

Typis Michaëlis Hartmanni

